

De excidio Sancti Cassiani.

CAP. XXIX.

1) Sub anno quoque Domini MCXXXII [a] Faventini et Imolenses castrum Sancti [A] Cassiani, quod Ravennatibus et Bononiensibus favebat, funditus cum sede Episcopali destruxerunt.

De igne maximo.^a

CAP. XXX.

Anno a Christi nativitate [b] MCXXXIII in mense Januarii, accensus est ignis in civitate Faventiae, qui majorem Ecclesiam et totam combussit civitatem.

De destructione castri Serrae.

CAP. XXXI.

Et factum est, postquam civitatem Imolae, a Ravennatibus et Bononiensibus destructam, Faventini reaedificaverunt, et suis expensis [c] multo tempore defenderunt, totus comitatus Imolae cum Ravennatibus et Bononiensibus [d] Imolam expugnabant. Anno itaque Domini MCXXXIII, cum Faventini reverterentur Imolae [e], dimissis ibi ad custodiendam quibusdam equitibus [f] et peditibus, in strata omnes comites, equites et pedites de toto comitatu ad bellum invenerunt paratos. Commisso itaque, quasi per horam, bello inter eos, hostes conversi sunt in fugam; quos cives prosternendo et occidendo, persecuti [g] sunt usque Serram [B] et sese obiciendo

[a] Sub anno quoque Domini MCXXXII. Sic C. M. In Codd. V. et A. et in Vers. Ital. Gregorii Zuccoli, pro MCXXXII, legitur MCXXXIII. — [b] Anno a Christi nativitate, C. V. In C. M., a Christi nativitate, sine anno. — [c] suis expensis tutissime. Sic legendum puto. In C. M. est tucissent; quam vocem Cl. Mitt. vertit in *manutenuissent*. Legi etiam posset: *tuiti essent*. Sed hic error amanuensis, quocunque modo corrigatur, non melius restituit sensum, quam substituto adverbio *tutissime*, aut *diutissime*, ni valde me fallit opinio. — [d] cum Ravennatibus et Bononiensibus. Sic Codd. V. et A. In C. M., pro Ravennatibus, conspicitur notula *Mun*, quam interpretatur Cl. Mitt. *Mutinensibus*. Sed errorem subesse in C. M. existimo; nam nulla erat inter Mutinenses et Bononienses amicitia. Tondutius quoque nihil de Mutinensibus meminit in sua Historia ad hunc annum. — [e] reverterentur Imolae. Sic legendum cum Cod. M., *Imolam perperam* habet C. V. — [f] ad custodiendum quibusdam equitibus, C. A. habet *ad custodiam*; sicque alii legunt; sed C. M., ut in textu. Pro *quibusdam* vero, habet *quibus*. In C. V. *aliquibus* legitur; ideoque supplendum esse *quibusdam* duxi. — [g] et occidendo persecuti. In C. M., et deest. Deest item in C. V. Pro *occidendo*, quod habet C. V., est *cecidendo* in C. M.

[A] Sancti Cassiani. Castrum prope Imolam, ubi Episcopus Imolensis sedem suam habebat.

[B] Serra. Erat castrum, ad occasum Faventiae, in montis cacumine, septimo hinc circiter milliari, ubi adhuc locus Serra dicitur, estque ad radices Apenini, non procul a Castro Bononiensi.